

Zagrabiae, pro 22. et sequentibus Mensis Maij Anni 1760 diebus celebrata Congregatione.

Articulus Primus.

De erigenda Turma Praetoriana.

Perlectis pretiosis Excellentissimi Domini Cancellarii Hungarico-Aulici Comitis Nicolai Palfy Litteris, Jussu Caesareo Regio sub dato 26. Mensis praeteriti Aprilis Anni currentis, ad Dominos SS. et OO. emanatis, siquidem ea esset benigna Suae Majestatis Sacratissimae mens et intentio, ut pro honore Nationis Hungaricae Nobilis Turma Praetoriana Ungarica, Centum viginti Capitibus constans, ab obsequiis Suae Majestatis Sacratissimae futura, sub modis et Conditionibus ibidem uberius circumscriptis erigatur: peculiarem gratiam illam Suae Majestatis Sacratissimae subditali in subjectione venerati sunt Domini SS. et OO., quod Gloriam honorisque hujus Patriae etiam istius filios participes reddere dignabatur. In reliquo vero Suae Excellentiae Domino Comiti Cancellario rescribendum decreverunt Domini Status, quod etsi in subsidium 80000 fl. in erectionem praefatae Turmae necessariorum, spectatis extreme exhausti Regni hujus Circumstantiis, a DD. SS. et OO. praestari nihil fere possit; ne tamen in offerendo defuisse videantur Domini SS. et OO., quatuor Millia florenorum, ad rationem Cassae Regni quotannis mutua levanda, et eum in finem convertenda decreverunt Domini SS. et OO., ea tamen cum Cautella, ne onus hoc ultra quam usque ad stabiliendam cum Ser. Borussiae, quocum modernum geritur Bellum, Rege pacem duret, ea vero conclusa in Litteris Praetitulati Domini Comitis Cancellarii assumpta cessaret, subsidium etiam isthoc penitus evanescat; hunc porro in finem mutuo levandi praefatos quatuor Mille florenos potestas Domino Supremo Regni Exactori conceditur, Domini autem Creditores de persolutione, tam Capitalis quam Interusurii affidantur. Caeterum provinciam, Ejusmodi Juvenes Suae Majestati e patriae filiis proponendi, Suae Excellentiae Domino Comiti Bano Domini SS. et OO. plena cum fiducia detulerunt, scribendasque Suae Excellentiae Domino Comiti Cancellario Litteras improthocolandas decreverunt.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1760. MENSE JULIO. ZAGRABIAE.

Articulus Generalis, A. 1760. 3. et sequentibus Mensis Julii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub